

ad capitis inclinationem aut porrectionem manuum, quae signa pro manifesto consensu accipiuntur. Matrimonium per hujusmodi vim contractum omni jure nullum atque irritum esse nemo non intelligit. Vis conditionata est metus alicui incussus ut in nuptias consentiat; metus autem dicitur vis conditionalis quod absolute non cogit partes ad contrahendum, efficit tamen ut invito animo consentiant. Metus vero duplex est, gravis et levis: gravis, qui dicitur cadere in constantem virum, ille est quem vir fortis prudenter concipit de gravi malo aut sibi, aut consanguineis, seu affinibus suis inferendo. Quare metus gravis est, si tria conveniant: 1. Si grave sit malum quod timetur, ut metus mortis, gravis cruciatus, amittendae libertatis, et hujusmodi. 2. Si prudenter, hoc est probabiliter et rationabiliter timeatur. Hoc enim distat inter constantem et inconstantem, quod hic ex levi et inani, ille forti et rationabili aestimatione moveatur; ac propterea nec gravis, nec prudens est metus, quando is qui minatur, non possit aut nunquam soleat id quod minatur efficere. 3. Si metuens nec minitanti resistere, nec malum quod timet vitare possit. Si qua ex his conditionibus desit, levis metus est. Caeterum Honorius III in cap. CONSULTATIONI de Sponsal. et Matrim. monet: « de illato metu cum diligentia inquirendum. » Ex quo plerique Doctores, quos sequitur et laudat Sanchez de Matrim. lib. 4 disp. 3 num. 2, contendunt metum gravem aestimandum esse non absolute, attenda scilicet qualitate et natura ipsius mali, sed respective considerata qualitate ejus qui metum patitur. Quamobrem prudentis Judicis erit in peculiaribus casibus diligenter inspicere personarum sexum, conditionem, aetatem, animi robur, aliasque circumstantias, ex iisque definire, num metus gravis fuerit vel levis. Porro metus gravis alius ab extrinseco, alius ab extrinseco incussus dicitur; prior ab ipso metuente concipitur vel ex animi ejus perturbatione, vel ex causa naturali, cujusmodi est metus mortis propter morbum vel naufragium; alter ab homine incutitur, veluti cum quis alteri mortem

aliudve grave malum, nisi hoc vel illud faciat, serio comminatur. Hic tamen posterior metus aliquando juste et aliquando injuste incutitur: juste quidem, quando ab potestatem habente incutitur, ut si Judex stupratori poenam minetur nisi stupratae nubat; injuste autem, quando is qui grave malum comminatur, vel ejus inferendi potestatem non habet, vel id exigit ad quod metuens non obligatur, veluti si pater stupratori mortem comminatus esset nisi filiam duxerit; pater enim jus quidem habet coram Judice accusandi, non autem propria auctoritate occidendi.

Jam vero Matrimonium inquit ex levi metu ad extorquendum consensum injuste illato validum est, tum quia ex L. 184. ff. de R. J. vani seu levis timoris justa excusatio non est, dum libertatem notabiliter non minuit et facile contemni potest, tum quia innumera matrimonia vel nulla, vel admodum dubia essent, et multis difficultatibus obnoxia si ex omni inani metu contracta dirimerentur. Ipsa religiosa professio ex levi metu emissa omnino valet ex cap. 1 et 2 de his quae vi met. caus. Item apud omnes certum est metum etiam gravissimum, qui ex causa naturali, vel ex animi affectione oritur, non irritas nuptias facere. Si quis itaque metu damnationis aeternae, vel mortis ex morbo aut naufragio instantis concubinam ducat, quam aliter non duxisset, matrimonium firmum est. Sic vota ex simili metu emissa rata sunt: tunc enim homo non cogitur ad contrahendum, vel vovendum, sed ipse id eligit voluntate sua tanquam medium ad periculum animae vel corporis evadendum. Pariter metus etiam gravis, et ab extrinseco sed ad consensum extorquendum non incussus, nuptias non vitiat. Itaque firmum erit matrimonium, si quis in aliqua civitate obsessus metu expugnationis, incendii, aut caedis duceret filiam obsidentis; quoniam in hoc etiam eventu cum metus non eo tendat ut matrimonium ineat, contrahens sponte sua nuptias eligit, ut mala impendentia avertat. Denique metus gravis ab extrinseco ad extorquendum consensum,

jure tamen illatus matrimonium non vitiat : veluti si vir a magistratu metu poenarum cogatur, ut mulierem quam violavit uxorem ducat, matrimonium subsistit. Sic eos qui fidei sponsalium non servandae causas idoneas non afferunt, Ecclesia gravissimis poenis compellit ut nuptias contrahant. Tunc enim matrimonium non vitiatur ratione injuriae, quippe contrahens injuria non afficitur, dum cogitur ad id praestandum quod nisi praestiterit, injustus et iniquus est; neque ratione coactionis ipsius consensui illatae, quia contrahens proprie non cogitur ab homine, sed a lege, et a facto proprio ac libero, dum ipse libere illud egit, ex quo obligatio contrahendi matrimonii jure ipso proficiscitur.

Restat itaque ut solus metus gravis ab extrinseco ad extorquendum consensum, et injuste incussus matrimonium dirimat, si ex tali metu contrahatur. Contracturus enim matrimonium « plena debet securitate gaudere, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus qui de invitis solet nuptiis provenire. Cum locum non habeat consensus, ubi metus et coactio intercedat, necesse est ut ibi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo contrahitur consensu. » Ita in cap. CUM LOCUM de Sponsal. et Matrim., et in cap. VENIENS 15 eod., cum adolescens duabus foeminis, alteri per verba de futuro, subsequuta dein copula proleque suscepta, et alteri per verba de praesenti, sed ob metum a patre puellae incussum nupserat, Pontifex respondet : « Mandamus quatenus, si inveneris, quod primam post fidem praestitam cognoverit, ipsum cum ea facias remanere : alioquin secundae (nisi metu coactus qui posset in virum constantem cadere, eam desponsaverit) adherere facias ut uxori. » Similiter in cap. SIGNIFICAVIT De eo qui dux. in matrim. casus est de viro qui duplex matrimonium iniverat; primum compulsus metu, alterum ultro et sponte sua, rogatusque Pontifex utrum validum esset, rescripsit : « Si constiterit, quod tanta vis eidem illata fuerit, quod

non sponte in primam consenserit, propter hoc non dimittas, quin ad aliam quam postea in uxorem accepit, revertendi liberam tribuas facultatem. » Nihil autem refert, an metus gravis ab eo ipso qui matrimonium exoptat, an absque ejus culpa aut scientia, ex consanguineo, vel amico, aut alio quocumque inferatur. Etenim Sacri Canones non tam in odium illius qui injuste metum incutit, quam in favorem libertatis matrimonii nullitatem istam statuerunt. Libertas autem matrimonii non minus laeditur, sive timor ab eo qui matrimonium optat, sive ab alio quocumque injiciatur. Sic in cit. cap. VENIENS irritum pronuntiatur matrimonium, quod ex metu initum fuerat, licet neuter ex contrahentibus, sed pater puellae metum intulisset.

At vero non longe absumus ab ea sententia quae docet, matrimonium ex tali metu initum jure duntaxat ecclesiastico, non jure naturali invalidum et irritum esse. Nam spectato jure naturae nihil postulatur aliud ad validitatem contractuum, quam justus titulus et consensus contrahentium. Prior habetur per mutuum traditionem juris in corpora; posterior autem non tollitur per metum, licet imminuatur. Nam coacta voluntas voluntas est : idque eo confirmatur, quod metus gravis ex causa necessaria, ex. gr. morbo, peste, naufragio incussus non irritat matrimonium, quemadmodum supra dictum est, idemque sentiunt Canonistae omnes. At libero voluntatis consensui non minus contrarius est metus gravis qui ab extrinseco per injuriam inferatur, quam qui citra injuriam ex causis naturalibus incutitur : utroque enim casu voluntas non plane ac simpliciter vult, sed secundum quid, ut scholae loquuntur, sive ad vitandum periculum quod pertimescit. Igitur ea differentia, quod nuptiae per vim injustam extortae invalidae sint, jure ecclesiastico instituta est; siquidem inspecto jure naturali irritae utroque casu habendae essent, quia utroque casu voluntas ratione metus consentit in nuptias, profecto in eas non consensurasi abfuisset. Neque illud

obstat, quod in metu gravi per hominem illato injuria afferatur: contra autem a causis naturalibus omnis injuria procul absit. Nam posito consensu quantum est opus ad translationem juris in corpora, id satis est ut matrimonium naturali jure consistat. Injuria quidem aequam tribuit causam, cur in favorem ejus qui metum passus est, contractus rescindatur, si tamen ejusdem contractus natura patitur ut solvi possit. Argumenta quae contra proferuntur, exponit et confutat Sanchez de Matrim. lib. 4 disp. 14.

Hoc autem impedimentum quamvis ecclesiasticum sit, ab Ecclesia tamen non relaxatur, quod fieri juste prudenterque non possit. Aequum profecto non esset injuriam illatam confirmare atque approbare, et efficere ut timorem injustum inferenti fraus sua et dolus patrocinaretur. Attamen deficientem ex metu consensum liberum poterunt ex intervallo supplere vim passi per copulam sponte sua et affectu maritali subsequutam, vel novo consensu libero etiam clandestino. Nam S. Pius V Episcopo Hieracensi rescripsit, matrimonium metu initum consummatumque, si in ejus celebratione forma Tridentini servata sit, et impedimentum occultum maneat, mutuo conjugum consensu, et spontanea habitatione convalescere, uti refert Fagnanus in cap. Is qui FIDEM de Sponsal. et Matrim.

Hoc loco quaeri poterit, an metus reverentialis nuptias dirimat? Praemittendum est, nomine metus reverentialis non eam solum intelligi verecundiae et reverentiae speciem, qua filii prosequuntur parentes et alios quibus honor habendus est, verum etiam eo nomine intelligi existimationem et formidinem mali, quod timetur ab iis quorum legitimae potestati obnoxii sumus, nisi eorum voluntati obtemperemus. Itaque ex metu reverentiali filius ex. gr. matrimonium inire dicitur, quando oblatis a patre nuptiis non audet contradicere, in easque invito animo et quasi coactus consentit tum ob pudorem et reverentiam quae filiis naturaliter inest co-

ram parentibus, tum etiam ob timorem quem eadem reverentia inducit, ne in patris offensionem incurrat ab eoque mulctetur. Mala autem quae ex hujusmodi filiorum resistentia manare solent, diversa sunt attenta parentum indole; alii moerorem ex filiorum resistentia conceptum tristitia duntaxat vultus manifestant; alii in querelas erumpunt quandoque graviores, quandoque leviores; alii denique querelis adjungunt asperam agendi rationem, minas verberum, minuendae haereditatis, aliasque graves et injustas vexationes; quae omnia juxta diversas personarum circumstantias perpendenda sunt, ut probe judicetur, an metus levis fuerit an gravis. Generatim tamen dicendum est metum reverentialem sejunctum a verberibus, minisve gravibus, vel cohabitatione difficili et admodum molesta, aliove gravi periculo matrimonium non dirimere, tum quia ejus generis metus in virum prudentem constantemque non cadit, tum quia aequum est ut filii voluntati parentum obsequantur ex metu quodam reverentialem; parentes enim oculatiores esse solent ipsis filiis, qui saepius experientiae parum, multum vero libidinis habent, et caeco impetu in nuptias proruunt.

§ 186.

DE ORDINE.

Antiqua est Ecclesiae disciplina, quae majores Clericos omnino castos esse jubet. Hujus disciplinae fundamentum situm est in sanctitate status et ministerii, atque in primis divini sacrificii, cui in Ordinibus sacris constituti dant operam: « cum simul voluptatibus et carnalibus desideriis ac divinis et ecclesiasticis obsequiis vacare non valeant, » ut dicitur cap. 3 de Cler. conjug. Hinc Concilium Lateranense I can. 21: « Presbyteris, Diaconibus et Subdiaconibus et Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere

penitus interdicimus; contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, et personas ad poenitentiam debere redigi juxta Sacrorum Canonum definitionem judicamus. » Et Lateran. II cap. 7 et 8 : « Ut lex continentiae et Deo placens munditia in Ecclesiasticis Personis et Sacris Ordinibus dilatetur, statuimus quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, et Monachi, atque Conversi professi qui sanctum transgredientes propositum uxores sibi copulare praesumpserint separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Id ipsum quoque de Sanctimonialibus, si, quod absit, nubere tentaverint, observari praecipimus. » Multa alia sunt Conciliorum et Pontificum decreta, quae Lateranensi sanctioni omnino concinunt. Itaque Ordo sacer est impedimentum dirimens matrimonii, atque adeo nuptiae ab eo attentatae qui in aliquo Sacro Ordine constitutus est, invalidae habentur, easdemque attentans tum gravissimi sacrilegii reus est, tum in tanti criminis poenam excommunicationem majorem ipso facto incurrit latam a Clemente V his verbis : « Clericos in Sacris Ordinibus constitutos matrimonium contrahentes excommunicationis sententiae ipso facto subjacere decernimus. » Clement. unic. de Consang. et Affin. ; itemque fit irregularis ob bigamiam similitudinariam, quam per attentatas hujusmodi nuptias contrahit, et denique ab officio et beneficio deponendus est juxta sequens Decretum Innocentii in Concil. Romano : « Decernimus ut hi, qui in Ordine Subdiaconatus et supra, uxores duxerint, officio et beneficio ecclesiastico careant. »

At Graeci continentiae legem vel votum Sacris Ordinibus non adnectunt, sive ut loquitur Innocentius III cap. 6 de Cler. conjug. : « Orientalis Ecclesia votum continentiae non admisit, quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt, et in superioribus utuntur matrimonio jam contracto. »

Quamobrem Graeci uxoribus suis ante Ordinationem ductis uti non vetantur, non vero permittuntur post susceptos Ordines Sacros nuptias inire. Haec Graecorum disciplina paulatim irrepsit, dein per Canones Trullanos stabilita et ab Ecclesia latina ad schisma vitandum tolerata est.

Caeterum nullus Ordo Sacer jure naturali vel divino, sed tantum ex lege ecclesiastica et voto nuptias dirimit. Itaque Romani Pontifices ex gravissimis causis super hoc impedimento interdum dispensarunt. Si quis vero vel ante rationis usum, vel omnino coactus Sacris Ordinibus initietur, ab omni ministerio et exercitio Ordinum perpetuo interdictus a continentiae lege dispensatur, dum tamen comprobaverit se vel sui non compotem, vel prorsus coactum Sacris Ordinibus insignitum fuisse, et Ordinationem suam postmodum ratam non habuisse.

§ 187.

DE IMPEDIMENTO LIGAMINIS.

Tridentinum sess. 24 de Matrim. can. 2 definivit : « Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit. » Nemini itaque tum jure ecclesiastico, tum divino fas est constante vincula prioris matrimonii ad alias nuptias convolare, atque adeo irritae et invalidae sunt posteriores nuptiae si contrahantur, quod impedimentum ligaminis appellatur. Neque per supervenientem prioris conjugis obitum matrimonium illud invalide contractum convalescit, nam ex Reg. 18 Juris in 6 : « non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit. » Hinc Canones omnino vetant secundas nuptias iniri, nisi de morte prioris conjugis certo constet, quod Lucius III rescripsit Christianis in captivitate positis cap. 2 de secund. Nupt. : « Id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare praesumat, donec ei constet,

quod ab hac vita migraverit conjux ejus. » Et Clemens III ad Caesaraugustensem Episcopum cap. 19 de Sponsal. et Matrim.: « In praesentia nostra quaesivisti quid agendum sit de mulieribus, quae viros causa captivitatis et peregrinationis absentes ultra septennium praestolatae fuerint, nec certificare possunt de vita vel de morte ipsorum, licet super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem, et pro juvenili aetate seu fragilitate carnis nequeunt continere petentes aliis copulari. Consultationi ergo tuae taliter respondemus, quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis non possunt ad aliorum consortium canonice convolare, nec auctoritate Ecclesiae permittes contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum. » Si quis autem falsis documentis deceptus priorem conjugem obiisse putans matrimonium bona fide contraxerit, postmodum vero comperiat adhuc vivere « relictis adulterinis amplexibus ad priorem conjugem reverti debet, » ut loquitur Lucius III cit. cap. 2 de secund. Nupt.

§ 188.

DE PUBLICAE HONESTATIS JUSTITIA.

Publicae honestatis justitia est quaedam ex sponsalibus de futuro, aut ex matrimonio rato orta propinquitas, quam sponsus contrahit cum sponsae consanguineis, non autem cum affinibus utriusque. Quaedam enim honestas ac decentia postulare videtur, ut nemo ei puellae nubat, cujus consanguineam aut sibi desponsavit, aut etiam matrimonio quodammodo suam effecit. Olim publicae honestatis impedimentum ex quibusvis sponsalibus, etiam invalidis, oriebatur, et ad quartum usque gradum inter Sponsum et Sponsae consanguineos, ac vicissim nuptias dirimebat. Nunc autem ex sponsalibus tantum validis emergit, et primum gradum non excedit ex decreto Concilii Tridentini sess. 24. cap. 3 de Re-

form. Matrim. quo sic statuitur: « Justitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione invalida erunt, Sancta Synodus prorsus tollit. Ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari. » Itaque hujusmodi impedimentum non oritur 1. ex sponsalibus indeterminatis, veluti si pater adolescenti promittat unam ex filiabus suis in uxorem daturum; quod sponsalia proprie non sint, cum in personam certam non ferantur. 2. Non oritur ex sponsalibus conditionatis ante conditionis eventum, ut colligitur ex cap. unic. de Sponsal. in 6, et Interpretes communiter docent, quia conditione pendente consensus suspensus manet. 3. Non oritur ex sponsalibus initis inter eos qui aliquo impedimento dirimente inhabetiles sunt ad contrahendum, quia ejus generis sponsalia nulla sunt. 4. Demum ex sponsalibus per parentes contractis nomine filiorum absentium, donec ipsi filii consenserint, rataque sponsalia fecerint. Caeterum publicae honestatis impedimentum, quod semel ex sponsalibus validis ortum est, perpetuo manet, nec aufertur etiamsi sponsalia mutuo consensu dissolvantur, quemadmodum S. Congregatio Concilii saepius declaravit, et praecipue die 6 Julii ann. 1658 apud Fagnanum in cap. AD AUDIENTIAM DE Sponsal.

Quod vero ad matrimonium pertinet, publicae honestatis impedimentum consurgit ex matrimonio duntaxat rato. « Matrimonium enim consummatum, aut veram producit affinitatem, aut certe aliud impedimentum non parit, » ut recte monet Benedictus XIV de Synod. Dioecesis. lib. 9 cap. 13 num. 4. Cum vero Tridentina Synodus circa impedimentum publicae honestatis, quod oritur ex matrimonio rato, nihil innovaverit, hinc sicut olim, ita nunc quoque impedimentum hujusmodi exsurgit ex quolibet matrimonio rato etiam invalido, dummodo invalidum non sit ex defectu

consensus, et nuptias dirimit ad quartum usque gradum inclusive. Matrimonium autem ratum invalidum est ex defectu consensus, si initum fuerit ob errorem in personam, vel ob servilis qualitatis ignorantiam, vel ob vim metumve gravem injuste incussum; et propterea in his casibus impedimentum publicae honestatis non parit: si vero matrimonium ratum ex quocumque alio capite invalidum sit, impedimentum semper gignit, et usque ad quartum gradum nuptias dirimit. Quanquam vero matrimonia rata impuberum ob defectum consensus invalida habeantur, ex speciali tamen Juris Canonici dispositione in cap. TUAE de Sponsal. Impub., et cap. un. eod. in 6 in sponsalia valida de futuro resolvuntur. Inde fit ut ex eisdem matrimoniis tanquam ex validis sponsalibus impedimentum dirimens publicae honestatis ad primum tantum gradum contrahatur. Illud est huic impedimento praecipuum et proprium, quod retro non agat, hoc est prioribus sponsalibus nunquam deroget, veluti si quis post sponsalia cum Berta valide contracta, cum ejusdem matre aut sorore nova sponsalia ineat, non vetatur Bertram ducere in uxorem, cap. un. de Sponsal. in 6; at si post sponsalia cum Berta matrem vel sororem ejus cognoverit, affinitatem contrahit, quae executioni priorum sponsalium et matrimonio cum Berta ineundo prorsus obstat, cap. 8 et 9 De eo qui cogn. consang. Hinc affinitas dicitur retro agere, idque de aliis impedimentis tradit Sanchez lib. 7 de Matrim. disp. 68 num. 23 et 24.

§ 489.

DE AFFINITATE.

Affinitas est personarum propinquitas ex perfecta carnis commistione proveniens, eoque nomine vocatur affinitas, quod per carnalem copulam una cognatio ad alterius cognationis fi-

nem accedit. Siquidem per copulam vir et foemina unum fiunt; unde efficitur ut vinculo isto consanguinei foeminae cum viro, et consanguinei viri cum foemina affinitate conjungantur. Hinc sequitur: 1. Virum et foeminam qui corporum commistione copulantur, affines inter se proprie non esse, sed principium affinitatis, et quasi stipitem a quo affinitatis gradus numerantur, sive ut Gratiani verbis utar in notis ad arborem affinitatis caus. 35 quaest. 5, » inter virum et mulierem non contrahitur affinitas, sed ipsi sunt affinitatis causa. » Hinc vir poterit mulierem in matrimonium ducere, quam carnaliter antea cognoverat. 2. Neque ex sponsalibus de futuro, neque ex matrimonio rato affinitatem oriri, quod in utroque casu deest ratio affinitatis, nimirum corporum conjunctio, per quam vir et mulier una caro efficiuntur. 3. Affinitatem non oriri, nisi seminum commistio intercedat; secus enim copula perfecta non est, nec facti sunt duo in carne una; « quantumvis » ait S. Thomas in 4. distinct. 41 quaest. un. art. 4, « aliquis claustra pudoris invadat, nisi commistio seminum sequatur, non oritur ex hoc affinitas. » 4. Affinitatem oriri non solum ex copula licita, sed etiam illicita, nam « qui adhaeret meretrici, unum corpus cum illa efficitur, » ut legitur 1 ad Corinth. cap. 4-5. Affinitatem oriri ex copula, quae habeatur cum muliere prorsus invita ac remittente, aut etiam dormiente, aut ebria, cap. DISCRETIONEM De eo qui cogn. consang.; namque ad affinitatem contrahendam satis est carnalis cognitio, seminumque commistio, non voluntas personarum postulatur.

Triplex olim exstitit affinitatis genus. Primum erat illud de quo loquuti sumus: alterum in eo situm erat ut affinitas pareret affinitatem: tertium denique habebatur quum consanguinei mulieris affines fierent consanguineis viri et vicissim. Verum Innocentius III in Concilio Lateranensi IV secundum et tertium affinitatis genus de medio sustulit, et primum duntaxat genus in suo robore permanere constituit. Nunc itaque